Podgurski Samuelis Joannis: Summa libertas inter suavissima religiosorum votorum vincula triumphans.

SUMMA LIBERTAS

Inter ſvaviſſimâ Religioſorum votorum vincula triumphans,

DVM

ILLVSTRIS ET ADMODVM REVERENDVS

D. MICHAEL

DE ZDANY

ZDANOWSKI,

CANONICUS REGULARIS LATERANENSIS

SOLENNES PRIMITIAS,

Auguſtiſsimi Myſterij et miniſterij Euchariſtici,

IN ECCLESIA SACRATISSIMI CORPORIS CHRISTI,

Caſimiriæ ad Cracoviam,

In frequentiſſima Magnorum Hoſpitum Corona

CELEBRARET.

Per

M. SAMVELEM IOANNEM PODGVRSKI,

Philoſophiæ Doctorem & Profeſſorem, C. M. V. Sacrâ Authoritate Apoſtolicâ Notarium publicum,

Publicæ lætitiæ & gratulationis ergô

DEMONSTRATA.

Anno quo Dominus Dominantium formam ſerui aſſumpſit.

1694. Die 21. Novembris.

CRACOVIÆ, TYPIS UNIVERSITATIS.

In Stemma Gentilitium Illustris & Admodùm Reverendi Dñi.



In CRUCE dignatus Christus celebrare triumphum,
In CRUCE libertas, Religiosa viget.
Et quoniam votis ternis prosternitur hostis,
Suppositæ Soleæ, Symbola terna ferunt.
Prima notat niveam mentem sine labe; secunda
Divitias calcat; tertia iussa facit.

ALEXANDER de Gaszyn GASZYNSKI
Studiosus Pöeseos.

SUMMA LIBERTAS

Inter ſvaviſſima Religioſorum Votorum vincula, triumphans.

I*Inæſtimabile quidem bonum eſt, ſuum fieri*:
hoc tamen vt commune mortalibus, ita rarum eſt.
Sæpe tota Imperia imperio carent:
& libera dominia liberè dominari neſciunt.
Plerumq; enim poteſtas vivendi vt velis,
poteſtatem ſui amittit.
Et ſicut futuræ calamitatis, initium fit incauta ſecuritas,
ita magna libertas, ſervitutis indicium eſt.
Quàm paucos, in hoc exilio, aſſertores Camillos reperias?
Quotquot naſcimur Sardi venales ſumus:
ni redempti, poſtliminio reducamur in Patriam.
Certè, ſi cum Cijnici tæda orbem luſtraueris
Nulla olympias, Olympo dignam libertatem, miniſtrabit.
Si enim à fortuna, libera ſuffragia emendicaveris,
citiùs manciparis.
Nam magna ſervitus eſt, magna fortuna.
Coronata mancipia,
Cræſos, Siphaces, Iugurthas, Attilios ſpecta,
quàm infelices felicitas fecit!
Scimus oui Caſtoris, Matris pullos albæ,
ſuis in ſplendoribus nubilum paſſos.
Novimus ſerâ ætate non vnam Hecubam & Darij Matrē ſeruijſſe,
quæ iurejurando, obſtrictam ſibi fuiſſe ſortem, crediderunt.
O ſervilem libertatem fortunæ!
quæ ad laqueum Polycratem ad Caveam Baiaſetem,
ad ſcholam Dyoniſium, ad culinam Boleſlaum damnavit.
O ſortem exſortem!
quæ Coſmophilos etiam in ſolio mancipat!
Quid enim ſunt ſceptra? quid coronæ!

A *fugidæ*

fulgidæ compedes, sub quibus nunquam sibi vivitur.
Quid splendores Trabearum? nisi splendidiores ærumnæ,
Quod priuatis licuit, regnantibus non expedit.
in quibus omne deliquium vt in sole apparet.
Quantus applaudentium, tantus inuidentium numerus est.
Pauci Ephestiones sunt, quibus ex asse fidant Alexandri.
Excubant quidem ante postes satellitum cateruæ,
sed vt servos fortunæ, arctiùs custodiant.
Adeo ille tantum liber est, in quem nihil fortunæ licet.
Ille sui juris, qui nec vitijs, nec divitijs capitur.
Audi ingentis Mediolani Tripodem:
Ille in quauis Statione seruitij liber est,
qui auaritiæ vinculis non tenetur, metu criminum non ligatur
Nihil seruile habet, - - - - - -
qui securus expectat præsentia, quem non terrent futura.
Nempe apud Deum,
vt sola Nobilitas est, clarum esse virtutibus:
ita sola libertas est, non servire peccatis.
Vnde quid iam liberius, quàm servire Tonanti?
Si nutas animo,
Romanus morum Doctor optimè enunciat:
Deo parere libertas est summa.
Non est sublimior thronus, nec augustior triumphus,
quàm Optimi Maximi. Numinis, obsequij vota, nuncupare.
Talem Te hodie libertatis Assertorem exhibes,
Illustris & Admodùm Reuerende Domine Neomysta,
D. MICHAEL ZDANOWSKI,
Canonice Regularis Lateranensis.
Tuo peraugusto ministerio Regum superas dignitatem:
Ita enim seruire, plusquam regnare est.
O quam potentissima libertas est,
Æternũ cæli Obsidem sub accidentium cancellis, in manibus tenere.
Quanta potestas,
Verbo, Verbum, per quod facta sunt omnia,
è cælo

é cælo in terram evocare.
Si luctator Angelus, Iacobo herbam porrigens,
tot eum oculis, quod sideribus, dignum fecerit?
quantò illustrius, Tu instauras spectaculum,
cùm Dominum exercituum arctiùs stringis.
Si invictus Nunides,
Solis retroacti prodigio orbem rapuit in stuporem,
quis Te Phæbi justitiæ baiulum, magis non veneretur?
In parvo accidentium orbe Immensus,
novam sibi cordis Tui elegit sphæram.
In Te Ecclypticam gratiæ fecit.
Te in hanc dignitatis Sacerdotij augem sublimavit.

Macte animo nove Obededom!

Domus Tua repletur benedictionibus,
præsente hâc sanctiori Arca.
Mundi desertum felix transibis,
dum hoc cælesti satiaris manna.

Orbe sub Arctoo natus,

Non timebis à frigoribus niuis,
dum Ignis consumens Deus Te fouet.
Ardebit ille, in ara cordis Tui inextinctus!
quem Vestalibus vigilijs, pernox, perdius custodies.
Tibi cælum inæstimabilem hodie propinat Vnionem,
Vt felicius Antonio epuleris.
Cibus & Conviva Deus, instruxit mensam,
vt adversum tribulantes, nutrimentum fortitudinis sumas.
Vnus omnia contra prodibis Pancratiastes,
dum hoc *nulli penetrabile* ferro scutum assumpsisti.
Triumphum libertatis perennem celebrabis,
quia Generis humani, liberatorem possedisti.
Et certè ad sacri pompam triumphi,
vt novus Helcanides destinari videbaris.
Vultus oculique spirabant.
Te ad aram velut arenam victorem fore.
Egressus ex ephebis, instar Phæbi

 celeres

celeres explicuisti ortus?
Micabat in Te innatus ad omnem virtutem ardor,
Nobilis Surculus,
Ex viridi opimos solatiorum fructus, promittebas.
Cumq; maior sit recentis gratia floris;
omne tempus tuum esse ratus,
Non expectatus, eleganti morum varietate, refloruisti.
Adolescentiam, virtutis solius imperio subdidisti,
ne vicina lapsibus, tyrannidi vitiorum subiaceret.
Volubilis ætatis genius,
ne voluptatis laqueis caperetur,
regiam laboris viam ingressus es.
Ita in Regno libertatis natus,
Polono more, fortia agere & pati assuevisti,
ne vlli vanitati serviisses.
Porrò cùm liberales disciplinæ, liberos deceant,
totum animi vigorem, Cracio Apollini exercendum commisisti.
De palma profectûs certantibus Antagonistis,
Cos virtutis eras.
Serviles animos iudicans, qui otio marcent,
Vt laureæ crescerent, frontem sudore sæpius rigasti:
Cracio Heliconi, invidebant Te Lublinenses Camænæ,
Svaviter tamen, diremisti hoc certamen,
quando vbiq; Theopompum Te exhibuisti.
Porro relinquendus Tibi erat ille rivus,
Lublinensium Cervo:
cùm Te Iagellonius fons, iterum alliceret.
Præcelsus Aquilarum nidus,
coronis & corona educationis Tuæ, esse debuerat,
vt ad altiorem scientiarum provocareris volatum.
Vnde in publico studiorum sole,
quis Te feliciùs solebat apricari?
Exactâ in laboribus luce,
etiam Tibi noctes Atticas, idest eruditas fecisti.
Nox erat illuminatio Tua,
Licet Lechicis Athænis, noctuam non colueris.
Philosophum vitâ ante professus, quàm disceres Philosophiam,
reali

reali argumento, Te Studiosum veræ sapientiæ demonstrasti:
Ex omnibus liberalibus studijs,
Reginam animorum eloquentiam amplexus es!
vt liberis mentibus, imperares.
In sortem Dei vocatus,
Sacra rostra, Latiâ & vernaculâ suadâ impleuisti.
Divinioris Berecynthiæ vsq; ad delicias Encomiastes,
Augustum Assumptionis eius in cælum Triumphum,
geminâ panegyri celebrâsti.
Prædicatum invicti Laurentij Nomen,
Laurum gloriæ tibi germinabit.
Beatus MICHAEL GEDROICIVS,
Cor magni Augustini à Te dictus.
Te planè audientium cordibus ingessit.
Sancti huius Principis Rosa,
Tibi cedet in coronam,
ad cuius odorem suavitatis, cucurristi.
Archangelici Nominis bajulus,
reali stylo Zelum eius secutus es.
Quoties Tibi, sacram exedram conscendere concessum,
toties QVIS VT DEVS. superbis ingeminâsti.
Quidquid hodierni orbis Politia, cælo non probatum invenit,
libero ore reprobasti.
Sacris igitur laboribus, intentus,
quid nisi Festum honoris habere poteras?
At Tu talium feriarum impatiens,
in laboribus quietem posuisti.
Nil enim maioribus subiacet malis,
quàm mens à laboribus libera.
Pessimus est animæ hostis otium, quia pretium capit libertatis.
Tibi igitur Asylum liberarum mentium virtutumq; Athletica,
Inclyta Congregatio Canonicorum Regularium Lateranen:
feliciter placuit.
In hac, Augusta Augustini Propago, Gens electa,
Vivunt tutiùs, cadunt rariùs, surgunt velociùs, irrorantur
crebriùs, sanctificantur perfectiùs,

Sacris pro cælo obligati laboribus,
in libertatem æternam asseruntur.
Vota Deo dum reddunt, coronata recipiunt,
Reduplicatiuè Regulares,
regulam in ſe præbent doctrinæ & ſanctitatis.
Felicem Te inclyte Neomyſta!
qui Natalium ſplendoribus, hanc lucem addidiſti.
Illuſtribus Antenatorum Ceris
iam adaugebat fatuos honorum ignes fortuna,
At Tu niſi à ſole Doctorum mutuari lucem voluiſti.
Orientem olim eundem in occidente oſtendens,
Ipſe hodie meridiem dignitatis felix capeſſis,

Io triumphe, io pæan!

Inter votorum Tuorum vincula,
Magis quam in Polona libertate triumphas.
In tanta dignitate, nemo Tibi obſtat, ne Deus quidem,
quem Omnipotentem ſtringere vales ſacerdos.

Euge Magni Parentis magne fili!

dum triumphalem pedem, in præcelſo hoc fixiſti culmine,
Leua manus devote Moyſes, vt vincat Iſrael.
Dum Parentem omnium geſtas in incendio amoris, pie Æneas,
Ilium noſtrum vna cum dulciſſimo Tuo Genitore,
inſtantiſſime commenda,
Vt poſt tot decennia malorum, ſub arbore Mineruæ
quieſcere liceat.
Altâ mente repone coronam gaudiorum,
quâ coronavit Te Mater Tua Religio, in die lætitiæ cordis ſui;
Floreat mille incrementis hoc ſeminarium Doctorum.
Quoſcunq; ſanguis iunxit, lex gratitudinis
& neceſſitudinis obligavit.
Quicunq; hoc auguſto interſunt triumpho,
ab omni næuo recipiant libertatem,
& perenni Deo vinculo amoris obligentur.

Magnifico

VOTVM GRATITVDINIS,
INCLYTÆ MATRI CONGREGATIONI.

AFfricæ Phœbi celebris Propago,
Alma magnorum Genitrix Virorum,
Clara Lechæi Cynoſura Cæli,
Et mea Mater.

Aſtra quot celſo rutilant Olympo,
Quot tenet vaſtum pelagus, natantûm
Piſcium turmas, volucres & vdus,
Quot fovet æther.

Teſqua ſylvarum, per opaca currunt
Quot feræ; campis virides quot herbæ,
Pullulant, denſas generant ariſtas,
Gargara quotquot,

Tot Tibi magnas teneor referre
Gratias, mundi rapidis procellis
Eripis quod me, Superûmq; ſacras
Ducis ad aras.

Seculi fraudes & iniqua, tutus
Sortis adverſæ, meritò ridebo
Tela; cùm turri Clypeoq; munit
Me DEVS ipſe.

Seu Nero ſumat truculenta mortis
Arma, ſeu torvus Diocletianus
Æſtuans irâ minitetur atra
Funera, temno!

Sive confractus, ruat Orbis in me;
Adſto ſecurus timeoq; nunquam;
Cùm mihi Numen dederit Supremum
Auxilium in ſe.

Hoc Tibi primum meritis coruſcans,
Maximis olim Venerande Paſtor
Imputo, Tu me memoranda WERE-
SCZYNIA Virtus

Gratijs magnis cumulans ad aras
Duxeras sacras; igitur Superni
Possidе Regni polyteuma, summum
Cerneq; Numen.

Proximas illi tamen occupabis,
Magne RVSIECKI memoris Clientis
Gratias, quando veneror profundo
Poplite Patrem.

Gemma Doctorum, Sapientiæq;
Phœbus es: Nostri Columen Senatus,
Hercules vivas, quoniam potestas
Cessit Atlantis.

Tuque VALEWICZ valeas, diuque
Lætus intersis PRIOR alme nobis,
Ædibus Sacris memorande, quas Tu
Ædificâsti:

Vive maturæ meritis senectæ
Clarus, integræ Speculumq; vitæ,
Gratias Tu quas mihi contulisti,
Numina reddent.

Docte GORCZYNSKI cui Svada dulcis,
Atq; doctrinæ decus est Sacratæ;
Doctor & Ductor, fueras ad omne
Tu mihi rectum,

Cumq; PIASECKI vicibus magistri
Functus, exemplar probitatis, in Te
Et mihi magnum dederis, proinde,
Colligo vota.

Cælitum Rector, meritis favores
Debitos Vobis tribuat, beatum,
O meæ vitæ gemini Magistri
Vivite seclûm.

Et quibus magni placuit Parentis
Vita, sacratæ tabulæq; menti
Arrident, Vestri memorem favoris
Semper habetis.